MISSAE
PROPRIÆ FESTORVM ORDINIS FRATRVM MINORVM.

Ad formam Miſſalis Noui.

EX DECRETO SACROSANCTI CONCILII Trid.reſtituti, & Clem. VIII. recogniti, redactæ.

Et nouiſſimè ex Commiſſione Sanctiſſimi D.Noſtri VRBANI VIII. exactius examinatæ.



VENETIIS, APVD CIERAS. M. DC. XXXX.

Sub Signo Europæ.

KALENDARIVM FESTORVM PROPRIORVM,

Siue Missarum Ordinis Fratrum Minorum.

Quando iuxta priuilegium Ordinis, celebratur de Sanctissimo Sacramento, per Annum. Missa dicitur; prout habetur inter Votiuas Missalis Noui.

IANVARII.

14 Festũ sanctissimi Nominis IESV. dupl. 2. classis. 6
16 Berardi, Petri, & sociorum. duplex 2. classis. 8
18 Cathedra S. Petri Romæ. duplex maius.
25 Conuersio S. Pauli Apostoli. duplex maius.

FEBRVARII.

5 Petri & sociorum Iapponen. dupl. 2. classis. 9
15 Translatio S. Antonij de Padua. dupl. minus. 10
19 Conradi confessoris. semiduplex. 10
22 Cathedra S, Petri Antiochiæ. duplex maius.
23 Beatæ Margaritæ de Cortona. semiduplex. (fuit heri.) 10

MARTII.

14 Translatio S. Bonauenturæ Pont. dupl. maius. 11
19 Ioseph confessoris. duplex maius.
20 Ioachimi confessoris. duplex maius.
24 Gabrielis Archangeli. duplex maius. 11

MAII.

6 Ioannis ante portam Latinam. duplex maius.
8 Apparitio Sancti Michaelis Archangeli. duplex maius.
17 Paschalis confessoris. duplex maius. 12
18 Translatio S Bernardini confessoris. dupl. minus. (fuit heri.) 12
19 Beati Felicis confessoris. duplex minus.
20 Bernardini confessoris, duplex, 2. classis. 12
25 Translatio S. P. N. Francisci conf. dupl. maius. 14

IVNII.

11 Barnabæ Apostoli. duplex maius.
13 Antonij de Padua confess. duplex, 2. classis. 14

IVLII.

2 Visitatio B. Mariæ Virginis. duplex maius.
4 Elisabeth viduæ Reginæ Portugalliæ. semid. 15
14 Bonauenturæ Episcopi & conf. dupl. 2. classis. 17
22 Mariæ Magdalenæ. duplex maius.
26 Annæ Matris Beatæ Mariæ. duplex maius.

AVGVSTI.

1 Petri ad Vincula. duplex maius.
2 Festum S. Mariæ Angelorum. duplex maius. 19
5 Dedicatio S. Mariæ ad Niues, duplex maius.
6 Transfiguratio Domini. duplex maius.
12 Claræ Virginis. duplex. 2. classis. 20
19 Ludouici Episcopi & confess, dupl. 2. classis. 21
25 Ludouici confessoris. semiduplex. 22

SEPTEMBRIS.

14 Exaltatio S. Crucis. duplex maius.
17 Impressio Sacrorum Stigmatum. duplex 2. classis. 22
28 Elzearij confessoris. semiduplex. (fuit heri.) 24
29 Dedicatio S. Michaelis Archangeli. dupl. 2. classis.

OCTOBRIS.

2 Translatio S. Claræ Virginis. duplex minus. 24
4 Francisci confessoris. dupl. 1. classis. 24
13 Danielis, & sociorum martyrum. duplex 2. classis. 27
18 Lucæ Euangelistæ. duplex. 2. classis.
19 Petri de Alcantara confess. duplex maius. 28
23 Ioannis Capistrani confessoris, duplex maius. 29
26 Iuonis confessoris. semiduplex. 29

NOVEMBRIS.

10 Translatio Sancti Ludouici Episcopi & confessoris. duplex maius. 29
12 Didaci confessoris. dupl. 2. classis. 29
20 Elisabeth Viduæ. semiduplex. (fuit heri.) 30
21 Præsentatio Beatæ Mariæ Virg. dupl. maius.
25 Catharinæ virginis & martyris. dupl. maius.
28 Iacobi de Marchia confess. duplex maius. 32

DECEMBRIS.

8 Conceptio Beatæ Mariæ Virginis. duplex. 2. classis. 4
13 Luciæ virginis & martyris. duplex maius.

IN FESTO
IMMACVLATAE CONCEPTIONIS
SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS MARIAE.

Et ex Concessione Pauli V. Summi Pontificis quolibet Sabbato Anni, recitari potest Officium Conceptionis Beatæ Mariæ (extra Aduentum, & Quadrages.) non impedito Officio nouem Lectionum.

Introitus.



EGredimini: & vidéte filiæ Sion Regínam vestram, quám láudant astra matutína: cuius pulchritúdinem Sol & Luna mirántur, & iúbilant omnes filij Dei. Psalm. 83. Quàm diléсta tabernácula tua, Dómine virtútum: concupíscit & deficit ánima mea in átria Dómini.

℣. Glória Patri, & Filio, &c.

Oratio.

DEus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Filio tuo habitáculũ præparásti: quæsumus, vt qui ex morte eiúsdem Filij sui præuísa eam ab omni labe præseruásti: nos quoque mundos, eius intercessióne ad te perueníre concédas. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Léсtio libri Sapiéntiæ. Pro. 8.

DOminus posséditme in inítio viárum suárum, ántequã quidquam fáceret à princípio. Ab ætérno ordináta sum, & ex antíquis ántequàm terra fieret. Nondum erant ábyssi, & ego iam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes graui mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, & flúmina, & cárdines orbis terræ. Quando præparábat cælos, áderam: quando certa lege, & gyro vallábat abyssos: quando æthera firmábat sursum, & librábat fontes aquárum: quãdo circúmdabat mari términum suum, & legem ponébat aquis, ne transírent fines suos: quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cunсta compónens: & deleсtábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore; ludens in orbe terrárum: & delíciæ meæ esse cum filijs hóminum. Nunc ergo filij audíte me: Beáti, qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, & estóte sapiéntes, & nolíte abiícere eam. Beátus homo qui áudit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie, & obséruat ad postes óstij mei. Qui me inuénerit, inuéniet vitam, & háuriet salútem à Dómino.

Graduale. Qualis est diléсta nostra, charíssimi? qualis est mater, dícite, Dómini? qualis & quanta sit soror, & sponsa Christi?

℣. Di-

℣. Dilécta nostra cándida, immaculáta, quasi auróra consúrgens. Allelúia, allelúia.

℣. Veni Regína nostra, veni Dómina in hortũ odóris super ómnia arómata, Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & additur sequens ℣. Virga Iesse flóruit, virgo Deum & hóminem génuit pacem Deus réddidit: in se reconcilians ima summis. Allelúia.

Post Septuagesimam, Tractus. Gaude María Virgo, cunctas héreses sola interemísti.

℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti.

℣. Dum virgo Deum & hóminem genuísti, & post partum virgo inuioláta permansísti.

℣. Dei génitrix intercéde pro nobis.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Lucam. Cap. 11.

IN illo témpore: Loquénte Iesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi. Beátus véter, qui te portáuit, & úbera, quæ suxisti. At ille dixit. Quinímmo, beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud. Credo.

Et dicitur per totam Octauam, & in festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Hortus conclúsus, fons signátus, emissiónes tuæ paradísus, ô María, manus tuæ stillauérunt myrrham, mellifluique facti sunt cæli, dum manu Dómini fabricáta es Mater tanti Dei.

Secreta.

SVscípere dignéris per temetípsũ benignitátis auctórem, rogámus Dómine, Matris, ac domus tuæ, zelatórum deuótas cum hilaritáte supplicatiónes: vt sicut ipsa, tua grátia præueniénte, mundo hódie immúnis appáruit: ita ipsi mundam de tuæ Matris múnere, te concedénte, exhibeant gratiárum actiónem. Per temetípsum Iesum Christum Fílium eius: qui viuis & regnas cum Deo Patre, in vnitáte Spíritus sancti Deus.

Illud hódie, hic & in Postcommunione omittitur extra Octauam.

Præfatio de Beata Virgine, Et te in Conceptióne, quę dicitur per totam Octauam, etiam in festis, nisi habuerint propriam.

Et sic dicitur per annum in Missis de ipsa sine aliqua mutatione.

Communio. Gloriósa dicta sunt de te, María, quia fecit tibi magna, qui potens est.

Postcommun.

ODórem, Dómine, sacrificij huius súscipe suauitátis, & præsta: vt, qui hódie Maríæ Conceptiónem iubilándo célebrant, eius salúbri oratióne, fructum céntuplum suæ deuotiónis accípiant. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuũ. Qui tecum.

Infrà Octauam Conceptionis Beatæ Mariæ, secunda Oratio de Feria, tertia de Spiritu sancto, nisi occurrat Festum duplex, vel semiduplex de quo tunc fit, cum commemoratione Octauæ & feriæ. Quando verò

in Sabbato per Annum fit Officium de Conceptione, secunda Oratio erit de Spiritu sancto, tertia Ecclésię tuę. Vel pro Papa. D eus ómnium.

Si verò occurrat fieri commem. alicuius Sancti ea ponitur secundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ alias secundo loco dicenda erat.

DIE IV. IANVARII.

IN FESTO SANCTISSIMI Nominis Iesu. Introitus. Phil. 2. b



N nómine Iesu omne genu flectátur, cæléstium, terréstrium, & infernórum: & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Iesus Christus in glória est Dei Patris.

Psalmus 8. D ómine Dóminus noster quàm admirábile est nomen tuum in vniuérsa terra!

℣. Glória Patri, & Fílio, &c.

Oratio.

D Eus, qui vnigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Saluatórem, & Iesum vocári iussísti, concéde propítius: vt cuius sanctum Nomen venerámur in terris, eius quoque aspéctu perfruámur in cælis. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In Missis priuatis fit commemorat. S. Felicis mart.

L éctio Actuum Apostolórũ. Cap. 4.

I N diébus illis. Petrus Spíritu sancto replétus, dixit. Príncipes pópuli, & senióres, audíte. Si nos hódie dijudicámur in benefácto hóminis infirmi: in quo iste saluus factus est: notũ sit ómnibus vobis, & omni plebi Isráël, quia in nómine Iesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitáuit à mórtuis: in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est à vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli. Et non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cælo datum homínibus: in quo opórteat nos saluos fieri. Graduale.

S aluos fac nos Dómine Deus noster: & cóngrega nos de natiónibus: vt confiteámur nómini sancto tuo: & gloriémur in glória tua.

℣. Tu Dómine pater noster, & redémptor noster, à sæculo nomen tuum.

A llelúia, allelúia. ℣. Láudem Dómini loquétur os meum, & benedicat omnis caro nomen sanctum eius.

Tempore Paschali, ℣. Exaltábo te Deus meus rex, & benedícam nómini sancto tuo Iesu in sæculum, & in sæculum sæculi.

Post Septuagesimam dicitur Tractus. D ómine Deus virtútum conuérte nos: & osténde fáciem tuam, & salui érimus: sonet vox tua in áuribus meis.

℣. V ox enim tua dulcis, & fácies decóra nimis.

℣. Oleum effúsum nomen tuum Iesu: ideo adolescéntulæ dilexérunt te.

Sequentia.

L Auda Sion Saluatóris
Iesu nomen, & amóris
Toto cordis iúbilo.
N omen sanctum nos amáre
Decet semper, & laudáre

Absque

Absque mentis núbilo.
Iesu nomen potestátis,
Atque ætérnæ maiestátis,
Summi Patris bráchium.
Cælos fecit, terræ molem
Iesu nomen, atque solem:
Et celéste gáudium.
Angelórum ingens cœtus,
Protoplastésque perféctus
Fuit Iesu nómine.
Vt aquárum magni fontes
Sunt immíssi super montes
Iusto rerum órdine.
In Aegypto fecit signa
Iesu nomen: & malígna
Pérdidit prodígia.
Scisso pélago, transuéxit
Israëlem, & demérsit
Hóstium insígnia.
Huius nóminis virtúte
Superbórum sunt destrúctæ
Dæmonum poténtiæ.
Simuláchra idolórum
Sunt euérsa: Tyrannórum
Fractæ violéntiæ.
Iesu nomen figurátum:
Veheménter expectátum
Patrum desidério.
Reuelátum nobis quidem
Dedit spem, amórem, fidem,
Máximo mystério.
Nomen ergo hoc amándum
Toto corde, & adorándum
Omni reueréntia:
In aduérsis nomen sanctum
Inuocétur: Iesu tantùm
Aderit præséntia.
Præséntia Deitátis:
Et totius bonitátis
Dulcis Iesus áderit.
Fugat morbos & liuóres,
Sed & ánimi languóres
Iesus vbi vénerit,
Et te corde nostro pone
Nóbile signáculum. Amen. Allel.

✠ Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Lucam. Cap. 2.

IN illo témpore: Postquã consummâti sunt dies octo, vt circũciderétur puer: vocátũ est nomen eius Iesus. Quod vocátum est ab Angelo, priúsquàm in útero conciperétur.

Credo. Offertorium. Ps. 85. Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo: Et glorificábo nomen tuum in ætérnum. Quóniam tu Dómine suáuis & mitis es, & multæ misericórdię ómnibus inuocántibus te, Allelúia. Secreta.

BEnedíctio tua cleméntíssime De⁹, qua omnis viget creatúra, sanctíficet, quǽsumus, hoc sacrificium nostrum, quod ad glóriam nóminis Fílij tui Dómini nostri Iesu Christi offérimus tibi: vt maiestáti tuæ placére possit ad láudem, & nobis profícere ad salútem. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Præfatio de Natiuitate. Communio. Ps. 85. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient, & adorábunt coram te, Dómine, & glorificábunt nomen tuum: Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: tu es Deus solus, Allelúia. Postcommun.

OMnipótens ætérne Deus, qui creásti & redemísti nos: réspice

propitius vota nostra: & sacrificium salutáris hóstię, quod in honóre Nóminis Fílij tui Dñi nostri Iesu Christi maiestáti tuæ obtúlimus, plácido, & benígno vultu suscípere dignéris: vt grátia tua nobis infúsa, sub glorióso nómine Iesu, ætérnæ prędestinatiónis título gaudeámus, nómina nostra scripta esse in cęlis. Per eúmdem Dóminum nostrum.

DIE XVI. IANVARII.

IN FESTO SS. MARTYRVM Berardi, Petri, Accursij, Adiuti, & Othonis. Introitus. Ps. 33.



MVltæ tribulatiónes iustórũ & de his ómnibus liberáuit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum, vnum ex his non conterétur. Psalmus. 33. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus eius in ore meo.

℣. Glória Patri, &c. Oratio.

LArgíre nobis, quæsumus Dómine beátis martyribus tuis Berárdo, Petro, Accúrsio, Adiúto, & Othóne intercedéntibus, cęléstia semper, & Christum amáre, quorum glorióso martyrio, Ordinis Minórum inítia consecrásti. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Léctio Epístolę Beáti Páuli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 4.

FRatres. Spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus. Nos stulti propter Christum: vos autem prudéntes in Christo. Nos infirmi: vos autem fortes. Vos nóbiles: nos autem ignóbiles. Vsque in hanc horam & esurímus, & sitimus, & nudi sumus, & cólaphis cædimur, & instábiles sumus, & laborámus operántes mánibus nostris. Maledícimur: & benedícimus. Persecutióne pátimur: & sustinémus. Blasphemámur: & obsecrámus. Tamquam purgaménta huius mundi facti sumus, ómnium peripséma vsq; adhuc. Non vt confúndam vos, hæc scribo: sed vt filios meos caríssimos móneo. In Christo Iesu Dómino nostro. Graduale. Psalm. 78. Víndica Dómine sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Posuérunt morticína seruórum tuórum Dómine escas volatílibus cæli: carnes sanctórum tuórum béstijs terræ. Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & additur sequens ℣. Psal. 115. Pretiósa in conspéctu Dómini, mors sanctórum eius. Allelúia.

Post Septuagesimam in Missis Votiuis dicitur sequens Tractus. Psalmus 125. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent.

℣. Eúntes ibant, & flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis. Ecce, ego mitto vos, sicut oues in médio lupórum. Estóte

ergo

ergo prudéntes sicut serpétes;& símplices sicut colúmbæ: Cauéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concílijs, & synagógis suis flagellábunt vos: & ad præsides, & ad reges ducémini propter me, in testimóniũ illis,& géntibus.Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini. Dábitur enim vobis in illa hora,quid loquámini.Non enim vos estis qui loquímini:sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem,& Pater filium: & insúrgẽt filij in paréntes,& morte eos afficiẽt. Et éritis ódio ómnibus homínibus propter nomen meum. Qui autem perseueráuerit vsque in finem: hic saluus erit. Credo.

Offertorium. Sap. 3. Iustórum ánimę in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace. Allelúia. Secreta.

PRo pretiósa, Dñe, tuórum mórte Sanctórum sacrifícium istud offérimus: quo opem tuam nostris tempóribus cleménter impéndas: & grátiam nobis veræ deuotiónis exhíbeas. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis:ne terreámini ab his, qui vos persequúntur. Postcomm.

CAeléstia, Dñe, dona, quæ súmpsimus,vitã nobis tríbuant sempitérnam: quã cùm beatórum mártyrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsij, Adiúti, atque Othónis gloriósis méritis implorámus.Per Dóminum.

DIE V. FEBRVARII.

IN FESTO SS. MARTYRVM Japponensium Petri, & socior.

Introitus. Eccli. 44.

SApiéntiam sanctórum nárrent pópuli: & láudes eórum núntiet Ecclésia: nómina autem eórum viuẽt in sęculum sęculi. Psalm. 32. Exultáte iusti in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri. Oratio.

DEus, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum Petri & sociórum eius,natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 5. c

IVsti autem in perpétuum viuent: & apud Dóminum est merces eórum, & cogitátio illórũ apud Altíssimum.Ideò accípient regnum decóris, & diadéma speciéi de manu Dómini:quóniam déxtera sua teget eos, & bráchio sancto suo defféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, & armábit creatúram ad vltiónem inimicórum. Induet pro thoráce iustítiam: & accípiet pro gálea iudícium certum. Sumet scutum inexpugnábile æquitátem. Graduale. Psalmus. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium.

℣. Láqueus contritus est, & nos liberáti sumus adiutórium nostrum in nómini Dómini, qui fecit cælum & terram. Allelúia, allelúia.

℣. Hæc

℣. Hęc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allel.

Post Septuagesimam omisso Allel. & Versu sequenti dicitur Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibát & flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portátes manípulos suos.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Lucam. Luc. 21. b

IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis. Cùm audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: opórtet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Tūc dicébat illis. Surget gens contra gentem: & regnum aduérsus regnum: & terræmótus magni erunt per loca, & pestiléntiæ, & fames, terrorésque de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia, iniicient vobis manus suas: & persequéntur, tradéntes in synagógas & custódias, trahéntes ad reges, & præsides propter nomen meum. Cōtinget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non prę meditári quemádmodum respódeátis. Ego enim dabo vobis os & sapiétiam: cui non poterunt resístere, & cōtradícere omnes aduersárij vestri. Tradémini autē à paréntibus & frátribus, & cognátis & amícis: & morte afficiét ex vobis. Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: & capillus de cápite vestro non peribit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras Credo.

Offertorium. Psalm. 149. Exultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in faucibus eórum, allelúia. Secreta.

MVnera tibi Dómine, nostræ deuotiónis offérimus: quæ & pro tuórum tibi grata sint honóre iustórum, & nobis salutária, te miserá te reddántur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his qui vos persequúntur. Postcomm.

PRæsta nobis, quæsumus Dómine intercedéntibus sanctis martyribus tuis Petro & sócijs eius, vt quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE XV. FEBRVARII.

IN TRANSLATIONE Sancti Antonij de Padua Confessoris.

Missa dicitur vt in die Natalis eiusdem: Sed in Oratione pro voce illa Solémnitas, dicitur Translátio.

Et sic fit in omnibus alijs Translationibus, vbi eadem vox, seu Festiuitas, aut Natalitia, inuenitur.

Sed in eis non dicitur, Credo.

DIE XIX. FEBRVARII.

IN FESTO S. CONRADI Confess. Introitus. Iustus vt palma. vt in Communi Confess. non Pont. Euang. Ecce nos reliquimus ómnia. vt in Missa Abbatum.

DIE XXIII. FEBRVARII.

IN FESTO B. MARGARITAE de Cortona. Missa Cognoui. de Communi, nec Virg. nec Mart.

DIE XIV. MARTII.
IN TRANSLATIONE S. Bonauenturæ Episc. & conf.
Missa, vt in die Natalis eiusdem.

DIE XX. MARTII.
IN FESTO S. IOACHIMI
Missa dicitur, vt in Missali nouo.

DIE XXIV. MARTII.
IN FESTO ARCHANGELI Gabrielis. Introitus. Ps. 67.

PRæuenérût Príncipes coniúncti psalléntibus in médio iuuenculárum tympanistriárum. Psalm. 67. Exúrgat Deus, & dissipéntur inimíci eius: & fúgiant qui odérunt eum à fácie eius. ℣. Glória Patri, & Filio, &c.

Oratio.

DEus qui per Archángelû tuum Gabriélem Saluatórem mundi sacratíssimę Vírgini concipiéndû nunciásti: da, vt eúmdem & mente pura concipiámus, & féruido imitémur afféctu. Per eúmdem.

Et fit commemoratio Feriæ.

Léctio libri Apocalypsis B. Ioánnis Apóstoli. Cap. 11.

ET séptimus ángelus tuba cécinit: & factæ sunt voces magnę in cęlo dicêtes: Factum est regnum huius mundi, Dñi nostri & Christi eius, & regnábit in sæcula sæculórum: Amê. Et vigintiquátuor senióres, qui in côspéctu Dei sedent in sédibus suis, cecidérunt in facies suas, & adorauérunt Deum, dicéntes: Grátias ágimus tibi Dómine Deus omnípotens, qui es, & qui eras, & qui ventúrus es: quia accepísti virtútem tuam magnam, & regnásti. Et apértum est têplum Dei in cælo: & visa est arca testaméti eius in templo eius. Et signum magnum appáruit in cęlo: Cap. 12. Múlier amícta sole, & luna sub pédibus eius, & in cápite eius coróna stellárum duódecim: & in útero habens, clamábat partúriens, & cruciabátur vt páriat. Et péperit filium másculû, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea.

Graduale. Psalm. 23. Attóllite portas príncipes vestras, & eleuámini portæ æternáles: & introíbit Rex glóriæ. ℣. Quis est iste rex glóriæ? Dóminus fortis & potens Dóminus potens in prælio.

Tractus.

Ecce vir vnus Gábriel vestítus líneis, & renes eius accínctus auro obrizo. ℣. Et corpus eius quasi chrysólitus, & fácies velut spécies fúlguris. ℣. Et óculos eius vt lampas ardens, & bráchia eius atque deórsum vsq; ad pedes quasi æris candéntis. ℣. Et vox sermónum eius quasi vox multitúdinis.

Témpore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam vírginem desponsátam Ioseph. Allelúia. ℣. Dan. 9. Ecce vir vnus Gábriel, quê víderam à princípio, citò volans tétigit me, & dócuit me. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Lucam. Cap. 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel à Deo in ciuitátê Galilææ, cui nomen Názareth, ad vír-

ginem desponsátam viro, cui nomẽ erat Ioseph, de domo Dauid: & nomẽ vírginis, María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Aue grátia plena Dóminus tecũ: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne eius, & cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas María, inuenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries filium, & vocábis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altíssimi vocábitur, & dabit illi Dóminus sedem Dauid patris eius: & regnábit in domo Iacob in ætérnum, & regni eius non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus superuéniet in te, & virtus Altíssimi obúmbrábit tibi. Ideóq; quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Filius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, & ipsa concépit filium in senectúte sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Offertorium. Psalmus 102. Benedícite Dóminum omnes Angeli eius, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum eius.

Secreta.

Exáudi Dómine, preces nostras, quas per Archãgelum tuum Gabriélem míttimus presentándas, quibus supplíciter exorámus: vt & hanc hóstiam salutárem, & per eam nos tibi sacrátos in odórem suauitátis suscípias. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ecce Míchaël vnus de princípibus primis venit in adiutórium meum.

Postcommunio.

Roborẽt nos quæsumus Dómine, sacra quę súmpsimus: & fauénte Archángelo tuo Gabriéle, in ópere efficáces, & in tuo amóre férvidi inueniámur. Per Dóminum.

DIE XVII. MAII.

IN FESTO B. PASCHALIS Confess. Missa, Os iusti. de Communi confess. non Pontif.

Euang. Nolíte timére pusillus: & dicitur Credo.

DIE XVIII. MAII.

IN TRANSL. S. BERNARDINI Confess. Missa seq. in eiusdem Nat. sed in Oratione pro voce illa, Solemnitáte: dicitur Translatione.

DIE XIX. MAII.

IN FESTO BEATI FELICIS Confess. Missa. Os iusti. de Communi Conf. non Pont.

DIE XX. MAII.

IN FESTO S. BERNARDINI Confessoris. Introitus. Ps. 36.



Os iusti meditábitur sapiéntiam: & lingua eius loquétur iudícium: lex Dei eius corde ipsíus.

Psalm. 32. Exultáte iusti in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri, &c. Oratio.

Adésto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti Bernar-

dini confessóris tui solemnitáte deférimus: vt, qui nostræ iustitiæ fidúciam non habémus, eius, qui tibi plácuit, précibus adiuuémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 45.

Dilectus Deo, & homínibus: cuius memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórũ, & magnificáuit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placáuit. Glorificáuit illũ in conspéctu regum, & iussit illi coram pópulo suo, & osténdit illi glóriam suá. In fide & lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, & elégit eum ex omni carne. Audíuit enim eum, & vocem ipsíus, & indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, & legem vitæ & disciplínæ.

Graduale. Psal. 36. Os iusti meditábitur sapiéntiam, & lingua eius loquétur iudícium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsíus: & non supplantabúntur gressus eius. Allelúia, allelúia. Osee 14 ℣. Iustus germinábit sicut líliũ, & florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & additur sequẽs ℣. Iac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.

Eo ordine quo dicitur in Rubrica Sabbati in Albis.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndum Matthæum. Cap. 19.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum. Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domũ, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut vxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit. Credo.

Et dicitur per totam Octau. & in festis infra eam occurrẽt. Offertorium. Psalm. 20. In virtúte tua Dómine lætábitur iustus, & super salutáre tuum exultábit vehementer, desidérium ánimæ eius tribuísti ei. Secreta.

Pręsta nobis quęsumus omnípotens Deus: vt nostræ humilitátis oblátio, & pro tuórum tibi grata sit honóre sanctórum, & nos córpore páriter & mente puríficet. Per Dóminum nostrum.

Communio. Mat. 19. Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquístis ómnia, & secúti estis me, céntuplum accipiétis, & vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: vt qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Bernárdino confessóre tuo, per hæc contra ómnia aduérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Infra Octau. Sancti Bernardini, ij. Oratio de Sancta Maria. Concéde nos. tertia Ecclésiæ. vel pro Papa.

Deus ómnium. & si occurrat festū duplex, vel semiduplex, de quo tunc fit cum commemor. Octau.

DIE XXV. MAII.

IN TRANSLATIONE S. P. N. Francisci, Missa. Mihi autem. vt in votiuis eiusdem. Seruata Rubric. Translationis Sancti Antonij, vt suprà. 10.

DIE XIII. IVNII.

IN FESTO S. ANTONII de Padua Conf. Introitus. Eccl. 25.



IN médio Ecclésiæ apéruit os eius, & impléuit eū Dóminus spíritu sapiéntię, & intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. Psalmus 91. Bonum est confitéri Dómino: & psallere nómini tuo Altíssime.

℣. Glória Patri, & Filio, &c.

Oratio.

ECclésiam tuam Deus beáti Antónij confessóris tui solémnitas votíua lætificet: vt spirituálibus semper muniátur auxílijs, & gáudijs pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 7.

OPtáui, & datus est mihi sensus: & inuocáui, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & prępósui illam regnis, & sédibus, & diuítias nihil esse duxi in comparatióne illíus: nec comparáui illi lápidem pretiósum: quóniam omne áurum in comparatióne illíus, aréna est exígua, & tamquàm lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem & spéciem diléxi illam, & propósui pro luce habére illam: quóniam inextinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéstas per manus illíus, & lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, & ignorábam, quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, & sine inuídia commúnico, & honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus: quo qui vsi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, & præsúmere digna horum, quæ mihi dantur: quóniam ipse sapiéntię dux est, & sapiéntium emendátor.

Graduale. Psalm. 36. Os iusti meditábitur sapiéntiam: & lingua eius loquétur iudícium.

℣. Lex Dei eius in corde ipsíus: & non supplantabúntur gressus eius.

Allelúia, allelúia.

℣. Antoni compar inclyte, nostri quondam itíneris: tu nobis adhuc míseris, in pátria iam prædite, te glorióso cómite, nos ora frui súperis. Allelúia.

Tempore Pasch. omittitur Graduale & additur seq. Osee 14. ℣. Iustus germinábit sicut lílium: & florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

Post Septuag. Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen eius, generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sęculum sęculi.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Matt. 5.

IN illo tẽpore: Dixit Iesus discípulis suis. Vos estis sal terrę. Quòd si sal euanúerit, in quo saliétur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittátur foras, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, & ponunt eã sub módio, sed super candelábrum, vt lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus: vt vídeant ópera vestra bona, & glórificent patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre quóniam veni sóluere legẽ, aut prophétas: non veni sóluere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec trãnseat cęlum & terra, iota vnũ, aut vnus apex non præteríbit à lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólerit vnum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui áutem fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórũ. Credo.

Et dicitur per totam Octauam, & in festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, & misericórdia mea cum ipso: & in nómine meo exaltábitur cornu eius.

Secreta.

PRæsens oblátio fiat, Dómine, pópulo tuo salutáris, pro qua dignátus es Patri tuo te viuéntem hóstiam immoláre. Qui cum eódẽ Patre & Spíritu sancto viuis & regnas Deus. Per ómnia.

Communio. Mat. 25. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge serue bone & fidélis, quia in páuca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui.

Postcommunio.

DIuínis Dómine, munéribus satiáti, quæsumus: vt beáti Antónij confessóris tui méritis gloriósis, salutáris víctimæ desiderátum sentiámus effectum. Per Dóminum nostrum.

Infra Octau. S. Antonij, & in ipso die Octa. fit idem Offic. quod in die. Sed infra Octauam post Orationem diei dicitur secunda Oratio de Sancta Maria, Concéde nos. tertia, Ecclésiæ tuæ. vel pro Papa, Deus ómnium.

DIE IIII. IVLII.

IN FESTO S. ELISABETH Reginæ Portugalliæ viduæ.

Introitus. Ps. 118.

COgnóui Dómine, quia æquitas iudícia tua, & in veritáte tua humiliásti me: confige timóre tuo carnes meas, à mandátis tuis tímui.

Psalm. 118. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri, & Fílio, &c.

Oratio.

CLementíssime Deus, qui beátam Elísabeth regínam, inter cæteras egrégias dotes, béllici furóris sedándi prærogatiua decorásti: da no-

bis eius intercessióne post mortális vitæ, quam supplíciter pétimus, pacē, ad ætérna gáudia perueníre. Per.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prou. 31. b

MVlierē fortem quis inuéniet? procul, & de últimis fínibus prétium eius. Confídit in ea cor viri sui, & spólijs non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitę suę. Quęsíuit lanam & linum, & operáta est cōsílio mánuum suárum. Facta est quasi nauis institóris, de longè portans panem suum. Et de nocte surréxit, deditq; prædā doméſticis suis, & cibária ancíllis suis. Considerá uit agrum, & emit eum: de fructu mánuum suárum plātáuit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, & roboráuit bráchiū suum. Gustáuit, & vidit quia bona est negotiátio eius: non extinguétur in nocte lucérna eius. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti eius apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas extēdit ad páuperem. Non timébit dómui suę à frigóribus niuis: omnes enim doméstici eius vestiti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, & púrpura induméntum eius. Nóbilis in portis vir eius, quādo séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, & véndidit, & cíngulū trádidit Chananæo. Fortitúdo & decor induméntum eius, & ridébit in die nouíssimo. Os suum apéruit sapiéntię: & lex cleméntię in lingua eius. Cōsiderá uit sémitas domus suę, & panem otiósa non comédit. Surrexérunt filij eius, & beatíssimam prædicauérunt: vir eius, & laudáuit eam. Multæ fíliæ congregauérunt diuítias: tu supergréssa es vniuérsas. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: & láudent eā in portis ópera eius.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábijs tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ętérnum. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem: & iustítiam: & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúia, allelúia. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, & regna. Allelúia.

Post Septuages. omisso Allelúia, & Versu sequenti, dicitur Tractus. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparáuit in ætérnum. ℣. Dilexísti iustítiam, & odísti iniquitátem: proptéreà vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ cōsórtibus tuis. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, intēde, próspere procéde, & regna.

Tépore Pasch. omittitur Graduale, & eius loco dicitur. Allelúia, allel. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, & regna. Allel. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & iustítiam: & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúia.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Matt. 13. f

IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quē qui ínuenit

homo, abscódit, & pre gáudio illius vadit, & vendit vniuérsa quæ habet, & emit agrum illum. Iterùm símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæréntí bonas margarítas. Inuénta autem vna pretiósa margaríta, ábijt, & véndidit ómnia quę hábuit, & emit eam. Iterũ símile est regnũ cælórum sagénæ missę in mare, & ex omni género píscium cõgregánti. Quam, cũ impléta esset, educẽtes, & secus littus sedẽtes, elegérũt bonos in vasa, malos autem foras misérũt. Sic erit in consũmatióne sæculi: exíbunt Angeli, & separábũt malos de médio iustórum, & mittẽt eos in camínum ignis: ibi erit fletus, & stridor déntiũ. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiã. Ait illis: Ideò omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo noua & vétera.

Offertorium. Diffúsa est grátia in lábijs tuis: proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Secreta.

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórũ honóre sanctórum: quórum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum nostrum.

Communio. Dilexísti iustítiam, & odísti iniquitátem: proptéreà vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Postcommun.

Satiásti Dómine, famíliam tuam munéribus sacris eius: quęsumus sẽper interuẽtióne nos réfoue, cuius solémnia celebrámus. Per Dóminũ.

DIE XIIII. IVLII.

INFESTO S. BONAVENTVRAE Episc. & confess. & Eccl. Doct.

Introitus. Eccl. 15.

In médio Ecclésiæ apéruit os eius, & impléuit eũ Dóminus spíritu sapiéntiæ, & intelléctus: stolam glórię induit eum. Psalmus 91. Bonum est confitéri Dómino, & psállere nómini tuo Altíssime.

℣. Glória Patri. Oratio.

Deus, qui Ecclésię tuę beátũ Bonauentúram confessórem tuũ atque Pontíficem, Doctórem mirabilem tribuísti: concéde propítius, vt apud te hunc pium semper intercessórem habére mereátur. Per Dóminum nostrum.

In Missis priuatis fit commemoratio S. Henrici confessoris. Oratio.

Omnípotẽs, & miséricors Deus, qui à glória tua nullam conditiónem exclúdis: te súppliciter exorámus, vt, sicut beáto Henríco confessóri tuo post terréni culmen impérij cęléstis regni sólium contulísti: ita méritis eius, & précibus, nobis quoque fámulis tuis ætérnę felicitátis prémia largiáris. Per Dóminum.

Léctio Epístolę B. Páuli Apóstoli ad Timótheum. 2. Tim. 4.

Caríssime. Testíficor coram Deo, & Iesu Christo, qui ventúrus est iudicáre viuos & mórtuos, per aduẽtum ipsíus, & regnum eius: prędica verbũ, insta opportúnè, importúnè: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiẽtia, & doctrína: Erit enim

tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coaceruábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, & à veritáte quidem audítum auértent, ad fábulas auté conuerténtur. Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Euangelistę, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certáui, cursum consummáui, fidem seruáui. In réliquo repósita est mihi coróna iustitiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs, qui dilígunt aduéntum eius.

Graduale. O s iusti meditábitur sapiéntiam, & lingua eius loquétur iudícium. ℣. Psal. 109. Lex Dei eius in corde ipsíus: & nō supplantabúntur gressus eius. Allelúia, allelúia. ℣. Iuráuit Dóminus, & non pęnitébit eū: tu es sacérdos in ętérnum secúndùm órdinem Melchísedech. Allelúia.

Tempore Pasch. omittitur Graduale, & additur ℣. Osee 14. Iustus germinábit sicut lílium: & florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

Post Septuag. Tractus. Ps. 111.

B eátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória & diuítiæ in domo eius: & iustítia eius manet in sęculum sęculi.

✠ S equéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Cap. 5.

I N illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis. Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanúerit, in quo saliétur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittátur foras, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscóndi supra montem pósita: Neque accéndunt lucérnam, & ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, vt lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra corā homínibus: vt vídeant ópera vestra bona, & gloríficent patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putáre quóniam veni sóluere legem, aut prophétas: nō veni sóluere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cęlum & terra, iota vnū, aut vnus apex non præteríbit à lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sóluerit vnum de mandátis istis mínimis, & docúerit, sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cęlórum. Credo.

Et dicitur per totam Octau. & in festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Psalm. 88. I nuéni Dauid seruum meum, óleo sancto meo vnxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

S Ancti Bonauentúræ confessóris tui atq; Pontíficis, quęsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: vt per hæc piæ placatiónis officia, & illum beáta retribútio comitétur, & nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Henrico. Secreta.

LAudis tibi Dómine, hóstias immolámus in tuórum cómemoratióne sanctórũ: quibus nos & præséntibus éxui malis confídimus, & futúris. Per Dóminum nostrum.

Communio. Luc. 12. Fidélis seruus, & prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: vt det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

DEus fidélium remunerátor animárum, præsta: vt beáti Bonauentúræ confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerádam celebrámus festiuitátem précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Pro S. Henrico. Postcommunio.

REféƈti cibo, potúque cæléſti, Deus noster, te súpplices exorámus: vt in cuius hæc commemoratióne percépimus, eius muniámur & précibus. Per Dóminum.

Infra Octau. Sancti Bonauenturæ, & in die Octau. dicitur Missa sicut in die festi. Sed infra Octa. quando non fit commemor. festi simplicis, dicitur ij. Oratio de Sancta Maria Concéde. tertia Ecclésiæ tuę. vel pro Papa. Deus ómnium.

DIE XXVI. IVLII.

IN FESTO SANCTAE ANNAE Matris Virginis Mariæ.

Missa dicitur vt in Missali nouo.

DIE II. AVGVSTI.

IN FESTO CONSECRATIONIS Ecclesię S. Marię Angelorum apud Assisium. Missa dicitur de Cõi Dedicationis Ecclesiæ, & dicitur Credo.

DIE XII. AVGVSTI.

IN FESTO S. CLARAE Virginis. Introitus. Ps. 44.



Vltum tuum deprecabúntur omnes díuites plebis: adducéntur regi vírgines post eam: próximæ eius afferéntur tibi in lætítia, & exultatióne. Psalmus 44. Eructáuit cor meum verbum bonũ: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri, &c.

Oratio.

FAmulos tuos, quæsumus Dómine, beátæ vírginis tuæ Claręvotíua natalítia recenséntes, cęléstium gaudiórum sua fácias interuentióne partícipes, & tui vnigéniti coherédes. Qui tecum.

Léctio Epístolę beáti Páuli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 7.

FRatres. De Virgínibus pręcéptũ Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquàm misericórdiam consecútus à Dómino, vt sim fidélis. Exístimo ego hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniã bonum est hómini sic esse. Alligátus es vxóri? noli quęrere solutióné. Solútus es ab vxóre? noli quęrere vxórem. Si autem accéperis vxórem, nó peccásti. Et si núpserit virgo, nó peccáuit: tribulatiónem tamé carnis habébunt huiúsmodi. Ego auté vobis parco. Hoc itaq; dico, fratres: Tépus breue est. Réliquum est, vt & qui habent vxóres: tamquã non habéntes sint: & qui flent, tamquã non flentes: & qui gáudent, tamquã non gaudétes: & qui emunt, tamquàm nó pos-

fidéntes:& qui vtúntur hoc mundo, tamquàm non vtántur:prętérit enim figura huius mũdi. Volo autem vos sine solicitúdine esse. Qui sine vxóre est, solícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum vxóre est, solícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat vxóri, & diuísus est. Et múlier innúpta,& virgo cógitat quæ Dómini sunt, vt sit sancta córpore,& spíritu: In Christo Iesu Dómino nostro. Graduale. Psalm. 44. Concupíuit rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus.

℣. Audi filia & vide, & inclína áurem tuam. Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est virgo sápiens, & vna de número prudéntum, Allelúia.

Tempore Paschæ omittitur Graduale, & additur ℣. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte, Allel.

Post Septuagesimam. Tractus. Audi filia, & vide, & inclína áurem tuam: quia concupíuit Rex spéciem tuam.

℣. Vultum tuum deprecabũtur omnes díuites plebis: filiæ regum in honóre tuo. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam:próximę eius afferéntur in lætítia,& exultatióne:adducéntur in templum Regis.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Mat. 25.

IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbuiam sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ,& quinq; prudéntes:sed quinque fátuæ,accéptis lampádibus, non sumpsérũt óleum secum: prudéntes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciẽte sponso, dormitauérunt omnes, & dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce spõsus venit, exíte óbuiam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, & ornauérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérũt: Date nobis de óleo vestro: quia lãpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite pótius ad vendéntes,& émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus, & quæ parátæ erant, intrauérunt cum eo ad núptias, & cláusa est iánua. Nouíssimè verò véniunt & réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, nésció vos. Vigiláte itaque quia nescitis diem, neque horam. Credo.

Et dicitur per totam Octauam,& in festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Psalmus 44. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ eius afferéntur tibi in lætítia & exultatióne:adducéntur in templum Regi Dómino. Secreta.

OBláta tibi quæsumus Dómine dona sanctífica, quæ maiestáti tuæ accépta fáciat beátæ vírginis tuę Claræ intercéssio venerãda. Per Dóminum nostrum.

Communio. Mat. 25. Quinque prudentes

déntes virgínes accepérunt óleum in vasis suis, cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exíte óbuiam Christo Dómino. Postcommunio.

PRótegant, quǽsumus Dómine, plebem tuam, gloriósæ vírginis tuæ Claræ continuáta præsidia, & sumpta pro illíus glória córporis tui sacri, & pretiósi sánguinis sacraménta. Qui viuis.

DIE XIX. AVGVSTI.

IN FESTO S. LVDOVICI Episc. & Conf. Introitus. Eccl. 45.

STátuit ei Dóminus testaméntum pacis, & príncipem fecit eum: vt sit illi sacerdótij dígnitas in ætérnum. Psalm. 131. Meménto Dómine Dauid: & omnis mansuetúdinis eius. ℣. Glória Patri, & Filio, &c.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam dispositióne mirábili nouis semper illústras sanctórum splendóribus: tríbue quǽsumus, vt qui beáti Ludouíci conféssóris tui atque Pontíficis, solémnijs gratulámur ad eius consórtium felíciter perducámur. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit cōmem. de Oct. S. Claræ.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Eccl. 44. & 45.

ECce Sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, & inuéntus est iustus: & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est inuéntus símilis illi, qui conseruáuit legem Excélsi. Ideò iureiurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, & testaméntum suum confirmáuit super caput eius. Agnóuit eū in benedictiónibus suis: conseruáuit illi misericórdiam suam: & inuénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificáuit eum in conspéctu regum: & dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnū: & dedit illi Sacerdótium magnum: & beatificáuit illum in glória. Fungi Sacerdótio, & habére láudem in nómine ipsíus: & offérre illi incénsum dignum in odórem suauitátis.

Graduale. Eccl. 44. Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est inuéntus símilis illi, qui conseruáret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia.

℣. Rosa vernans caritátis, lilium virginitátis, stella fulgens Ludouícus, vas sanctitátis, ora pro nobis Dóminum. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & additur sequens ℣. Ps. 109.

Tu es sacérdos in ætérnum, secúndùm órdinem Melchísedech. Allelúia.

Post Septuagesimam. Tractus. Ps. 111.

Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória & diuítiæ in domo eius: & iustítia eius manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Mat. 24.

IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis. Vigiláte, quia

nescitisqua hora Dóminusvester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniã si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, & non síneret pérfodi domum suam. Ideò & vos estóte paráti:quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis seruus, & prudens, quem constituit dóminus suus super famíliam suam, vt det illis cibum in tépore? Beátus ille seruus, quem cum vénerit dóminus eius, inuénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum. Credo.

Et dicitur per totam Octauam, & in festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Psal. 38. Inuéni Dauid seruum meum, óleo sancto meo vnxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sacrifícia, Dómine, quæ in honóre sancti Ludouíci confessóris tui, atque Pontíficis, tuæ offérimus maiestáti nobis sint ad salútem efficácia, & tuæ plácita pietáti. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matt. 24. Beátus seruus, quem cum vénerit dóminus, inuénerit vigilántem: Amen dico vobis, super ómnia bona sua cõstítuet eum.

Postcommunio.

Imménsam clemétiam tuam, omnípotens Deus, supplíciter exorámus: vt intercedénte beáto Ludouíco confessóre tuo atque Pontífice, per hæc sancta, quę sumpsimus, cuncta nobis aduersántia, te adiuuánte vincámus. Per Dóminum.

Infra Octau. S. Ludouici, Missa dicitur sicut in die festo, secunda Oratio de Sancta Maria. Concéde nos. tertia Ecclésiæ tuæ. vel pro Papa. Deus ómnium.

DIE XXV. AVGVSTI.

Romæ celebratur die XXVI.

IN FESTO S. LVDOVICI

Regis Francorum Confess.

Missa. Os iusti meditábitur, &c. vt ponitur in ipso die in Missali nouo.

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO STIGMATVM

Beati Patris nostri Francisci.

Ex concessione Pauli V. Sũmi Pont. semel in mense, prima die non impedita Officio ix. Lect. (extra Aduẽt. & Quadragesimam) potest fieri Officiũ Sacrorum Stigmatum Beati Patris nostri Francisci. Introitus. Gal. 6.



Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Psalm. 44. Voce mea ad Dóminum clamáui: voce mea ad Dóminum deprecátus sum.

℣. Glória Patri, &c. Oratio.

Dómine Iesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Patris nostri Francisci passiónis tuæ sacra Stígmata renouásti: concéde propítius, vt eius méritis, & précibus crucem iúgiter ferámus, & dignos fructus pœniténtiæ faciámus. Qui viuis.

Lectio Epistolæ beáti Páuli Apóstoli ad Gálatas. Gal.6.

FRatres: Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. In Christo enim Iesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed noua creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, & misericórdia, & super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim Stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Iesu Christi, cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Ps.36. O s iusti meditábitur sapiéntiam, & lingua eius loquétur iudícium.

℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabúntur gressus eius.

Allelúia, allelúia.

℣. Christo confixus sum cruci: viuo autem ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & additur sequens ℣. Francíscus páuper & húmilis, cælum diues ingréditur, hymnis cęléstibus honorátur. Allelúia.

Post Septuagesimã. Tractus. Ps.20. Desidérium ánimæ eius tribuísti ei, & voluntáte labiórum eius nõ fraudásti eum.

℣. Quóniam præuenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.

℣. Posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

✠ Sequentia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Mat.16.

IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre ábneget semetípsum, & tollat crucem suã, & sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam saluam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam suam propter me, inuéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum vniuérsum lucrétur, ánimæ verò suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo cõmutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuiq; secúndũ ópera eius.

Credo. Offertorium.

Psalmus 20. Desidérium ánimæ eius tribuísti ei Dómine, & voluntáte labiórum eius non fraudásti eum: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. Secreta.

ADsit nobis, quæsumus Dómine Iesu Christe, Beatíssimi Patris nostri Francísci pia, húmilis, & deuóta supplicátio: in cuius carne, prærogatíua mirábili, passiónis tuæ sacra stígmata renouásti, & præsta: vt virtúte præséntis oblatiónis tuæ passiónis circa nos benefícia iugiter sentiámus. Qui viuis & regnas.

Præfatio, vt in die Natalis eiusdem.

Communio. Mat.16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequátur me.

Postcommunio.

DEus, qui mira crucis mystéria in beáto Francísco confessóre

tuo multi formiter demonstrasti: da nobis quæsumus, deuótionis suę sẽper exémpla sectári, & assidua eiusdem crucis meditatióne muniri. Per Dóminum nostrum.

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. ELZEARII Confessoris.

Missa. O siusti, &c. de Communi Conf. non Pontif. Euang. Nolite timere pusillus grex. vt in sequenti Missa eiusdem Communi.

DIE I. OCTOBRIS.

DE SANCTIS ANGELIS Custodibus, duplex maius, nisi sit impedita alio festo nouem Lectionum, alioquin prima die non impedita.

DIE II. OCTOBRIS.

IN TRANSLATIONE S. Claræ Virginis.

Missa, vt in die Natalis eiusdem seruata Rubr. Translationis S. Antonij, supra. 11.

DIE IV. OCTOBRIS.

IN FESTO S. PATRIS NOSTRI Francisci Confessoris. Introitus.

GAudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Francísci, de cuius solemnitáte gáudent Angeli, & colláudant Filium Dei.

Psalmus 32. Exultáte iusti in Dómino: rectos decet collaudátio.

℣. Glória Patri, &c.

In Missis votiuis dicitur Introitus, Mihi autem, vt in festo Stigmatum, supra. 23.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Francísci méritis fætu nouæ prolis ámplificas: tribue nobis, ex eius imitatióne terréna despícere, & cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolę beáti Páuli Apóstoli ad Galatas. Gal. 6.

FRatres. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatúra. Et quicúmque hanc regulam secúti fúerint, pax super illos, & misericórdia, & super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: Ego enim stigmata Dómini Iesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Iesu Christi, cum spíritu vestro fratres. Amen. Graduale.

Os iusti meditábitur sapiéntiam, & lingua eius loquétur iudícium.

℣. Lex Dei eius in corde ipsíus: & non supplantabúntur gressus eius.

Allelúia, allelúia. ℣. O Patriárcha páuperum Francísce, tuis précibus auge tuórum númerum in caritáte Christi: quos cancellátis mánibus, cæcútiens vt móriens Iacob, benedixisti. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & dicitur ℣. Franciscus pauper & húmilis, cælum díues ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur, Allelúia.

Post Septuag. Tractus. Psalmus 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória & diuítiæ in domo eius: & iustítia eius manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Matt. 11.

IN illo témpore respóndens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Dómine cæli & terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus, & prudéntibus, & reueláſti ea páruulis. Ita Pater: quóniam sic plácitum fuit ante te. Omnia mihi trádita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Fílium, nisi Páter: neque Patrem quis nouit, nisi Fílius, & cui volúerit Fílius reueláre. Venite ad me omnes, qui laborátis, & oneráti estis, & ego reficiam vos. Tóllite iugum meum super vos, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde: & inueniétis réquiem animábus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue. Credo. Et dicitur per totam Octa. & in festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Psalmus 88. Véritas mea, & misericórdia mea cum ipso: & in nómine meo exaltábitur cornù eius. Secreta.

MVnera tibi, Dómine dicáta sanctífica: & intercedénte beáto Francísco, ab omni nos culpárum labe purífica. Per Dóminum.

etiam per totam Octau. & in Dominica, & festis infra eam occurrentibus, necnon in Missis Votiuis eiusdem Sancti Francisci.

Per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cũ spíritu tuo. ℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum & iustum est.
Verè dignum & iustum est,

bi ſemper, & vbique grá tias

ágere: Dómine ſancte, Pater

omnípotens, ætér ne Deus.

Qui venerándum Confeſsó-

rem fámu lum tuum beá tum

Franciſcum: tu a Deus al ti ſsi-

ma bonitáte, & cle méntia:

ſanctó rum tuó rum méritis,

& virtútibus ſubli má ſti: men-

témque ipsíus ſancti Spíritus

opera tió ne amor ille Se rá-

phicus ardentíſſimè incẽdit in-

té rius: ſuúmq. corpus ſacris

Stigmátibus in ſigníuit ex té-

rius: ſigno cruci fi xi Ieſu

Chriſti Dó mi ni noſtri.


Per quẽ maié ſta tẽ tuam lau-

dant An ge li, adórant Domi-

na ti ó nes, tremunt Po-

te ſtátes. Cæli, cælo rumque

vir-



Communio. Luc. 12. Fidélis seruus, & prudens, quem constituit dóminus super famíliam suam: vt det illis in témpore trítici mensuram.


Postcommunio.

Infra Octau. Sancti Francisci, & in ipso die Octauæ, fit idem Officium quod in die, sed infra Octauam post Orationem diei dicitur secúda Oratio de Sancta Maria, Concéde nos. tertia, Ecclésiæ tuæ, vel pro Papa. Deus ómnium fidélium.

DIE XIII. OCTOBRIS.

IN FESTO SS. MARTYRVM Danielis, & sociorum.

Introitus.



Apiéntia sanctórum narrét pópuli: & láudes eórũ núnciet Ecclésia: nómina autem eórum viuent in sæculum sæculi. Psalmus. Exultáte iusti in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri, & Filio, &c.

Oratio.

Fratérna nos, Dómine, mártyrum tuórũ coróna lætíficet: quæ & fidei nostræ præbeat increménta virtútum, & multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Léctio Epístolæ B. Páuli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 6.

Fratres. Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústijs, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in ieiúniis, in casti-

famam: vt seductóres, & veráces, sicut qui ignóti, & cógniti: quasi moriéntes, & ecce viuimus: vt castigáti, & non mortificáti: quasi tristes, semper autem gaudéntes: sicut égentes, multos autem locupletántes: tamquã nihil habéntes, & ómnia possidétes.

Graduale. Psalm. 33. Clamauérunt iusti, & Dóminus exaudíuit eós, & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberáuit eos. ℣. Iuxta est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde, & húmiles spíritu saluabúntur. Allelúia, allelúia.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, inclyta tenens regna cæléstia. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & dicitur sequens ℣. Sancti tui Dómine, florébunt sicut lílium, & sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúia.

Post Septuag. Tractus. Psalmus 125. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent.

℣. Euntes ibant, & flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne: portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Lucam. Luc. 6.

IN illo témpore: Descéndens Iesus de monte stetit in loco campestri, & turba discipulórum eius, & multitúdo copiósa plebis ab omni Iudæa, & Ierúsalem, & maritima, & Tyri, & Sidónis: qui vénerant, vt audírent eum, & sanaréntur à languóribus suis. Et qui vexabántur à spíritibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, & sanábat omnes. Et ipse eleuátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis, quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, & cũ separáuerint vos, & exprobráuerint, & eiécerint nomen vestrum tamquàm malum propter fílium hóminis. Gaudéte in illa die, & exultáte, ecce enim merces vestra multa est in cælo, Credo.

Offertorium. Psalm. 149. Exultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum. Allelúia. Secreta.

MYstéria tua Dómine, pro sanctórum mártyrum tuórũ commemoratióne, deuóta mente tractémus, quibus nobis & præsídium crescat, & gáudium. Per Dóminum.

Communio. Mat. 10. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus, & quod in áure audítis, prædicáte super tecta. Postcomm.

PRæsta, quæsumus omnípotens, Deus: vt quorum memóriam sacraménti participatióne recólimus, fidem quoque proficiẽdo sectémur. Per Dóminum.

DIE XIX. OCTOBRIS.

IN FESTO BEATI PETRI de Alcantara Confess. Missa. Iustus. de Communi Confess. non Pontif. Et dicitur Credo.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

IN FESTO BEATI IOANNIS Capistrani Confess. Missa. O s iusti. de Communi Confess. non Pontif. Et dicitur C redo.

DIE XXVII. OCTOBRIS.

IN FESTO SANCTI IVONIS Confess. Missa. I ustus, vt palma florébit. de Communi Conf. non Pontif. præter Euangel. S int lumbi vestri præcíncti. quod sumitur ex præcedenti.

DIE X. NOVEMBRIS.

IN TRANSLATIONE S. Ludouici Pontif. & Confess. Missa, vt in die Natalis eiusdem, seruata Rubrica Translationis Sancti Antonij, suprà. fol. 10.

DIE XII. NOVEMBRIS.

IN FESTO SANCTI DIDACI Confessoris. Introitus.

HVmiliáuit se in ómnibus, & coram Deo inuénit grátiam, quóniam magna poténtia Dei, & ab humílibus honorátur. Psalm. B enedic ánima mea Dóminum: & ómnia interióra mea, nomen sanctum eius. ℣. Glória Patri, & Fílio, &c.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili, in-

L éctio Epístolę beáti Páuli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 1.

FRatres. Vidéte vocatiónem vestram, quia non multi sapiéntes secúndùm carnem, nó multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, vt confúndat sapiéntes: & infirma mundi elégit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrúeret: vt non gloriétur omnis caro in conspéctu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapiéntia à Deo, & iustítia, & sanctificátio, & redémptio: vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Et ego cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntię, annúncians vobis testimónium Christi. Non enim iudicáui me scire áliquid inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

Graduale. Psalmus 20. Dómine præuenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétijt à te, & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi. Allelúia, allelúia.

℣. Psalm. 91. Iustus vt palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia.

dátis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória & diuítiæ in domo eius: & iustítia eius manet in sęculum sęculi.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndum Matthæum. Cap. 18.

IN illo témpore: Accesſérunt discípuli ad Iesum, dicéntes: Quis putas, maior est in regno cælórũ? Et áduocans Iesus páruulum, státuit eum in medio eórum, & dixit: Amẽ dico vobis, nisi conuérsi fuéritis, & efficiámini sicut páruuli, nõ intrábitis in regnum cęlórum. Quicúmque ergo humiliáuerit se sicut páruulus iste, hic est maior in regno cælórum. Et qui suscéperit vnum páruulum talem in nómine meo, me súscipit. Qui autem scandalizáuerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expédit ei, vt suspendátur mola asinária in collo eius, & demergátur in profúndum maris. Credo.

Et dicitur per totam Octauam, & in festis infra eàm occurrentibus.

Offertorium. Gal. 6. Mihi autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Secreta.

HAec hóstia quæsumus Dómine, quam sancti Didáci confesſóris tui solemnitáte offérimus: ipso étiam intercedénte, & víncula nostræ prauitátis absóluat, & tuæ nobis misericórdiæ dona cócíliet. Per Dóminum nostrum.

Communio. Mat. 11. Tóllite iugum meum super vos, & díscite à me, quia mitis sum, & húmilis corde: & inueniétis réquiem animábus vestris.

Postcommunio.

DEus, qui famíliam tuam his sacrificijs purgátam, beáti Didáci confesſóris tui celebritáte lætíficas: concéde quæsumus: vt eius humilitátis, & patiéntiæ imitétur vestígia, & ad gáudia peruéniat sempitérna. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum viuit, &c.

Infra Octau. Sancti Didaci, secunda Oratio de Sancta Maria, Concéde nos. tertia, Ecclésiæ tuæ. vel pro Papa Deus ómnium fidélium. Et si occurrat festum duplex, vel semiduplex, de quo tunc fit cum commemoratione Octauæ.

DIE XX. NOVEMBRIS.

IN FESTO S. ELISABETH Viduæ. Introitus. Ps. 118.

COgnóui Dómine, quia æquitas iudícia tua, & in veritáte tua humiliásti me: confige timóre tuo carnes meas: à mandátis tuis tímui. Psalm. 118. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri, &c. Oratio.

TVórum corda fidéliũ Deus miserátor illústra, & beátæ Elisabeth précibus gloriósis, fac nos próspera mũdi despícere, & cæléſti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum.

Lectio

Léctio Epístolę beáti Páuli Apóstoli ad Timótheum. 1. Tim. 5.

CAríssime: Víduas honóra, quæ verè víduæ sunt. Si qua autem vídua filios, aut nepótes habet: discat primùm domum suã régere, & mútuam vicem rédderе paréntibus: hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autẽ verè vidua est, & desoláta, speret in Deum, & instet obsecratiónibus, & oratiónibus nocte, ac die. Nã quę in delícijs est, viuens mórtua est. Et hoc præcipe, vt irreprehẽsibilis sit. Si quis autem suórum, & máximè domesticórum curam non habet, fidem negáuit, & est infidéli detérior. Vídua eligátur non minus sexagínta annórum, quę fúerit vnius viri vxor, in opéribus bonis testimónium habens, si filios educáuit, si hospítio recépit, si sanctórum pedes lauit, si tribulatiónem patiẽtibus subministráuit, si omne opus bonũ subsecúta est.

Graduale. Psalm. 44. Diffúsa est grátia in lábijs tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & iustítiam, & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúia, allelúia. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, prósperè procéde, & regna. Allelúia.

quam tibi Dóminus præparáuit in ætérnum.

℣. Dilexísti iustítiam, & odísti iniquitátem: proptéreà vnxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua: inténde, prósperè procéde, & regna.

✠ Sequéntia S. Euangélij secúndùm Matthæum. Cap. 13.

IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc. Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui inuenit homo, abscóndit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit vniuérsa quæ habet, & emit agrum illum. Iterùm símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Inuénta autẽ vna pretiósa margaríta, ábijt, & véndidit ómnia quæ hábuit, & emit eam. Iterùm, símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, & ex omni génere píscium congregánti. Quam, cùm impléta esset, educéntes, & secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi: exíbunt Angeli, & separábunt malos de médio iustórum, & mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, & stridor dén-

bijs tuis: propterèa benedixit te Deus in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Secreta.

MVnera, Dómine, nostræ deuotiónis offérimus, vt tibi grata, & nobis salutária, beátæ Elisábeth pia supplicatióne reddántur. Per Dóminum nostrũ Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit regnat.

Commúnio. Psal. 44. Dilexísti iustítiam, & odísti iniquitátem: proptérea vnxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio.

QVos Dómine, salutáribus dignátus es reparáre mystérijs beátę Elisabeth, quęsumus, intercessióne, cæléstis semper nútrias aliméntis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitáte Spíritus sancti Deus, &c.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

IN FESTO BEATI IACOBI de Marchia Confessoris. Missa, Iustus de Communi Confessoris non Pontificis. Et dicitur Credo.

F I N I S.

VENETIIS, M. DC. XXXX.

Sub Signo Europæ.